№ 13. Dodatek do Tygodnika katolickiego. do № 30.

Inscription commémorative de la Canonisation des Martyrs du Japon.

V . IDVS . IVN . AN . M . DCCC . LXII
QVOD . FELIX . FAVSTVM . FORTVNATVMQVE . SIET
ET . REI . CHRISTIANAE . BENEVERTAT
PIO . NONO . PONTIFICI . MAXIMO
ADSERTORI . PIETATIS . LOCVPLETATORI . ORBIS . CATHOLICI
QVI
IN . TEMPLO . VATICANO
DIE . AVSPICATISSIMO . ADVENTVS . SANCTI . SPIRITVS
ADSTANTIBVS . PATRIBVS . CARDD . ET . EPISCOPIS . P . M . CCLXX
SEX . ET . VIGINTI . HIEROMARTYRES . INVICTOS
PRO . FIDE . CHRISTI . IN . IMPERIO . IAPONIAE
CRVCI . SVFFIXOS . IMMANITER . TRVCIDATOS
ET . MICHELEM . DESANCTIS . HISPANIAE . ORNAMENTVM
A . PVERO . INTEGRVM . VITAE . VIRTVTE . SVBACTVM
CORAM . POPVLO . FREQVENTISSIMO . AD . LAETITIAM . EFFVSO
RITV . SOLEMNI . AVGVSTISQVE . POMPIS
IN . COELITVM . SANCTORVM . ALBVM . RETVLIT
ITEMQVE . ANTISTITES . EX . TOTO . TERRARVM . ORBE
ROMAM . OB . TANTAM . FAVSTITATEM . AFFLVENTES
PATERNA . CVMVLATOS . BENEVOLENTIA
GRANDI . NVMISMATE . ARGENTEO
BASILICAM . OSTIENSEM . REFERENTE . AB . EXCIDIO . RECONDITAM . DONAVIT
EOSQVE . VNA . CVM . SACRO . PATRVM . PVRPVRATORVM . SENATV
HODIERNO . DIE . IN . CALCHIDICO . MAGNO . BIBLIOTH . VATICANAE . AD . AGAPEN . RECEPIT
HIERONYMVS . DE . ANDREA . S . R . E . CARD.
EPISCOPVS . SABINORVM
SVO . ET . FRATRVM . NOMINE . VVLTV . IPSO . GESTIENTIVM
EX . ANIMO . PLAVDIT . ET . GRATVLATVR
DEVMQVE . AETERNVM . PROVIDENTISSIMVM . ADPRECATVR
VT . PONTIFEX . PIENTISSIMVS
SERVS . IN . COELVM . REDEAT
DIVQVE . INTERSIT . POPVLO . CHRISTIANO
QVO . VAFERRIMIS . RELIGIONIS . HOSTIBVS . VBIQVE . GENTIVM . DISIECTIS
VICTORIA . LAETI . TRIVMPHVM . AGAMVS
EPVLISQVE . AGNI . STEPHANOPHORI
COELESTES . INTER . CONCENTVS . PERPETVO . ASSIDEAMVS

ARCHIDIECEZYA LWOWSKA.

Currenda Consistorii Metropolitani Leopoliensis ritus latini die 16. Mart. 1860.
quoad Christianorum servitia apud Judaeos.

In memoriam revocamus Vobis praeprimis Fratres Venerabiles! longe jam antequam supra adducta, modo revocata (vetita illa) potestatis civilis in ditionibus his sancita prodiverint, legibus Ecclesiae idem prorsus constitutum extitisse. Ita capit. 8. de judaeis et Sarracen. (V. 6.) in Concilio Lateranensi III. sub Papa Alexandro III. editum, continet vetitum, *ne judaeorum servitio se assidue pro aliqua mercede exponant Christiani, et ne foeminae christianae infantes judaeorum in eorum domibus nutrire praesumant,* et similia quoque in capit. 13. (ut supra) ab Innocentio III. P. lato, leguntur. Praecepta haec, uti in memoratis canonibus expressum occurrit, innixa sunt ei considerationi, „*quod judaeorum mores, et nostri in nullo concordant, et ipsi facile ob continuam conversationem ac assiduam familiaritatem ad suam superstitionem et perfidiam simplicium animos inclinarent*“ item: quod Christianae religionis dignitati id summopere deroget, si hujusce asseclae judaeis, quos Apostolus (ad Phil. III. v. 18.) *inimicos Crucis Christi* appellat, quibus, ut ait ille (1 ad Cor. I. v. 23.) „*Christus crucifixus scandalum est,*“ qui nomen ejus blasphemant, famulentur.

Quae rationes cum jam ex natura sua continuo subsistant, Ecclesia etiam a praeceptis illis suis minime unquam recessit, sed potius talia saepe saepius iteravit; quo obtutu sufficiet recolere hic editas a Summo Pontifice Benedicto XIV. ad omnes Archiepiscopos et Episcopos Regni Poloniae ex Arce Gandulphi sub die 14. Junii 1751 ac a p. m. Nicolao Wyzycki Leopoliensi tunc temporis Archipraesule promulgatas litteras, in quibus et varia suorum praedecessorum, utpote Nicolai IV., Pauli IV., Pii V., Gregorii XIII. et Clementis VIII. decreta et Concilii provincialis Petricoviensis, sub P. Gregorio XIII. celebrati, tum alia synodalia statuta, quae in Polonia hac de re prodiverunt, recensuit ac confirmavit, quae autem litterae in actis Synodi Dioecesanae p. m. Archiepiscopi Venceslai Sierakowski an. 1765 habitae, typis impressis, per extensum, adjectis congruis eidem praeceptis, reperiuntur.

Quare ecclesiastica prohibitio apud judaeos inserviendi continuo n robore suo subsistit, et haec certe fideles stricte obligare minime cessavit, propter legem civilem modo publicatam, cum neque ibidem vel remote innuatur, neque alto regimini in genere adscribi valeat intentio, leges ab Ecclesia latas authoritate sua privandi, fidelesque ab harum observatione eliberandi.

Inde jam sequitur, praeprimis falsissimam imo aperte malevolam fore talem memoratae altissimae resolutionis interpretationem, acsi haecce praeceptis ab Ecclesia datis repugnaret, acsi ergo per eandem inter Ecclesiam ac civile Imperium aliquis adductus esset conflictus, et ideo non solum omnino, ac pro evitanda responsabilitate coram civili etiam potestate secus absque dubio incurrenda, cavendum erit, ne tale infundatum, et pro regimine injuriosum assertum praesertim publice et in specie e suggestu sacro, unquam proferatur, sed potius tam in concionibus quam in confessionali, et quoties apta sese praebuerit occasio, populo explicare ac inculcare sacerdotibus incumbit:

1. Normale, quod ad praesens hoc in objecto emanavit, eam nonnisi habere significationem, tam adversus judaeos, qui Christianas personas in famulos, nutrices, tyrones aut sodales susciperent, quam adversus Christianos servitio apud judaeos sese mancipaturos nulla amplius repressiva vel vindicativa media ex parte potestatis civilis fore adhibenda; nequaquam autem quod id a Christianis licite fieri possit; sed quod potius et nunc sicuti de praecedenti gravis peccati reos sese redderent, qui violando ecclesiae leges atque immunitati a poenis ex parte regiminis secularis irrogandis confidentes, qua famuli, sodales, tyrones, vel nutrices judaeis operas suas locare non reformidarent.

2. Ipsam hanc circumstantiam, quod hoc in objecto civilis potestas brachium suum retrahat, adeoque Ecclesia pro manutenendis praeceptis suis auxilium ejus obtinere amplius non possit, tanto fortius permovere debere quemcunque vere credentem ac pium christianum, ut haec Ecclesiae mandata eo exactius ac fidelius tam ipse servet, quam et ab aliis servari, in quantum in ipso est, procurare satagat.

3. Monendi, imo, sub interminando Dei tremendo judicio obtestandi sunt parentes, tutores, aut alii, hoc obtutu influxum exercere valentes, non solum, ne, quod Deus avertat, suas proles, suos pupillos, vel sub quocunque titulo educandos aut curandos, ad servitia apud judaeos sub aliquo ex supra dictis titulis suscipienda, ipsi inducant, vel multo minus cogant, sed imo ut eos ab hocce faciendo serio interposita omni, quali praediti sunt authoritate, nullisque neglectis mediis, retinere, aut si id nihilominus fieret, retrahere conentur.

4. Cum, adhibita quamvis omni sollicitudine ac cura, sperandum tamen non sit, non adfuturos christianos apud judaeos, famulos, sodales, tyrones, vel nutrices agentes, imo cum subintrare valeant tam infaustae conjuncturae, sub quibus nec possibile esset urgere, ut Christianus nexum famulitii, quo se erga judaeum jam forte obstrinxerat, saltem illico, imo ante longioris temporis decursum dissolvat, proinde pro cunctis his casibus sub gravi conscientiae onere tenebuntur Animarum Curatores sua ex parte maxima cum solertia invigilare, ut imposita secundum tenorem Ministerialis Decreti judaeis Christianos inservientes, nutrices, sodales, aut tyrones, habentibus obligatio, tam istos quam horum intra eorum domos forte viventes proles ad frequentationem divinorum officiorum, imo et Catechismi horis pomeridianis, diebus dominicis et festis adstringendi exacte expleatur; quem ideo in finem, occurrente necessitate adversus refractarios ab instantia locali, aut immediate a districtuali Officio auxilium implorare, aut pro re nata, ad Consistorium pro ferenda medelacer urrere oporteret.

Antonius Eques de Manastyrski m. p.
Vicarius Capitularis.

Ex Consistorio Metropolitano r. l.
Leopoli die 16. Martii 1860.
Severinus Morawski m. p.
Cancellarius.

Copia Expeditionis Illmi Consistorii Metrop. Leopoliensis rit. lat. ad Excellentissimum Illustrissimum ac Reverendissimum Antonium de Luca Archiepiscopum Tarsensem et Nuntium Apostolicum Viennae — dto. 3. Aprilis 1861. N. 413.,
de prohibitione servitii penes Judaeos propius declaranda*).

Novissimo tempore obtinui ab uno e rectoribus parochialium ecclesiarum mihi subjectarum libellum, in quo annuntiat: bona terrestria ambitum ejus parochiae constituentia, in proprietatem judaei devenisse, huncque ibidem cum tota sua familia esse commoraturum.

Hac igitur de causa expetit a me orator ille resolvi ipsi dubia quoad puncta sequentia:

1. Utrum interdictio ecclesiastica respectu suscipiendi a catholicis servitii apud judaeos restringenda sit tantum ad tales personas, quae cum judaeis communem, aut quasi communem mensam et habitationem habent (uti: pedissequi, ancillae, famulantes, nutrices), vel vero extendat se etiam ad eas, qui a terrestri aliquo domino, judaicae fidei addicto, victum et habitationem quidem accipiunt, sed in loco prorsus a judaeis separato; seu: reliqui circa rem oeconomicam inservientes?

2. Utrum complectatur in se interdictio praememorata etiam officiales privatos judaici bonorum terrestrium proprietarii; uti rei oeconomicae directores, vel inspectores, scribas, praediales, silvarum praefectos et similes; qui a hero suo judaico itidem habitationem, sed separatam, obtinent, atque salarium pecuniarium, vel frugum quantitatem pro alimentatione?

3. Utrum catholicis sit permittendum, operas suas judaeis in officinis coquendi cremati aut cerevisiae, ad eos spectantibus, ad serviles labores pro uno mense vel pluribus locare?

In solvendis quaestionibus istis fateor Excellme ac Rme Domine! me haud exiguam experiri difficultatem...

Si etenim tenor supra adductorum canonum attendatur, vix admissibilis apparet distinctio facienda inter illos christianos, qui judaeorum servitio sese mancipant eum in modum, ut cum iisdem in strictiori sensu communem habeant habitationem et victum, et eos, qui, quamvis separatim habitantes, victumque sumentes, tamen judaeorum sub qualicunque demum nomine vel titulo, herili potestati ad longius tempus, seu continuo duraturae, sese subjiciunt. Vetat etenim cap. 8. de Jud. et Saracen. (V. 6.) christianis generatim „*Judaeorum servitio se assidue pro aliqua mercede exponere,*“ — jam vero cap. 13. ibidem inhibet etiam simpliciter „*ne servientes habeant Christianos judaei.*“ Postulat etiam latiorem hanc prohibitionum istarum explicationem superaddita legislatoris intentio: „ne — nimirum — „*filii liberae filiis famulentur ancillae,*“ sed ut saltem „*per effectum operis recognoscant (sc. judaei), se servos illorum, quos Christi mors liberos et illos servos effecit*“: cujus autem sensus evidens est: *derogare id Religionis christianae dignitati, si hujusce asseclae judaeis qua famuli, vel inservientes, tamquam heris suis obsequia praestare teneantur.* Utique enim hoc obtutu nil refert, num Christianus cum hero suo judaeo in una recte domo habitet, ac edat, vel secus? Sed idem valet etiam et de altero motivo vetiti, de quo agitur in capite 8. de Jud. et Saracen. expresso: *quia nempe judaeorum mores et nostri in nullo corcordant, et ipsi de facili, ob continuam conversationem et assiduam familiaritatem ad suam superstitionem et perfidiam animos simplicium inclinarent;* vix namque aliquis negabit, etiam illas christianas personas, quae, licet si in eadem domo cum judaeo non habitando ac comedendo, tamen apud illum qualicunque in gradu inserviunt, ob frequentes cum eodem hero suo contactus, multiplicesque et fere inevitabiles domum ejus adeundi, ibique conversandi occasio-

*) Wir lassen hier die blos über die früheren Anordnungen berichtende Einleitung weg.

nes, quin, imo et per ipsum nexum dependentiae, in quo erga eum sunt constitutae, periculum non leve, si non totalis perversionis, tunc saltem in tepiditatem ac indifferentissimum religiosum incidendi, incurrere.

Respiciendo porro ad supra citatarum litterarum P. Benedicti XIV. contextum, invenimus ibi, qua verum deplorandumque malum id designari, si Christiani „*ab auctoritate hominis judaei, qua praedii vel boni possesoris, tamquam subditi de nutu ac potestate domini, dependeant*"; — sane autem subditi terrestrium bonorum cum domino unam communem non habebant domum, neque rem familiarem; — quod ergo de his valet, quomodo non valeret de talibus, qui potestati herili alicujus judaei ex titulo servitii, erga mercedem apud ipsum suscepti parere coguntur? etiamsi fors cum eo in eadem domo, tamquam contubernio, incessanter haud versentur. Ideo etiam decreta in Synodo dioecesana, quae sub p. m. Archiepiscopo Venceslao Sierakowski hic Leopoli anno 1765 celebrata fuit, condita, et typis pressa, in Capite XXI. de Judaeis intitulato haec continent, ad praerecensitum pontificium rescriptum provocando: „*quoniam ignominiam conditioni fidelium adfert, judaeis famulos adtribuere, ad opera servilia in cauponis, tabernis, vulgo braxatoriis ipsis locatis et locari solitis . . . . . atque etiam conducta annua aut longioris temporis mercede judaeis cujusvis sexus inservire Religionis nostrae derogat dignitati, — quare modo supra dicto judaeis famulari graviter et sub poenis prohibemus*" — sub quo igitur comprehensum est servitium omne apud Judaeos; sive communionem habitationis et victus cum iisdem post se trahens, sive hancce non producens sequelam.

Nihilominus, praeceptis istis in moderno rerum statu stricte sese conformare vix possibile est; aut tamen maximi momenti rationes id dissuadere videntur.

Cohaeret etenim illa arcte cum prohibito: judaeis bona terrestria in proprietatem resignandi, quinimo vel titulo nonnisi locati conducti in possesionem dimittendi, hujusque manutentionem subponunt. Jam autem Rmae Excellentiae Vestrae ignotum esse nequit, prodivisse pro Provincia hac, Galicia videlicet Austriaca, sub 18. Febr. 1860 caesaream constitutionem, qua mediante judaeis conductionem ejusmodi bonorum sine limitatione concedi, bona vero talia ipsis in proprietatem quoque cum conditionibus faciles admodum adimpletionis acquirere liberum esse fuit statutum; qua permissione nonnuli jam revera usi sunt, et alios, multo plures, eadem uti haud esse intermissuros nulli subest dubio. Christianos enim ad abstinendum a disvendendis conducendisve judaeis bonis suis permovere, certe sine omni fructu tentaretur; praetereundo etiam, bona terrestria a judaeis emi ac conduci posse circa venditiones elocationesve, quas authore, praetore, seu via publicae subhastationis, adeoque et sine prioris domini voluntate fieri, apud nos frequenter contingit.

Si nunc autem, eo non obstante, Christiani apud Judaeos, qui bonorum terrestrium domini aut conductores evaserunt, qualecunque servitium assiduum suscipere omni cum rigore impedirentur, evenirent inde varia incommoda, in specie:

1. Tales bonorum possessores nullos fere invenirent, quos tamquam inservientes pro diversis laboribus circa ruralem oeconomiam occurrentibus adhibere possent, siquidem in judaica populatione paucissimi deprehenduntur, hujusmodi vitae genus amplecti parati, sed plerique ab agrestibus ac duris laboribus abhorrent, ac potius speculationi alicui commerciali ac industriali sese addicere, et percepto ex eadem lucro, saepe exiguo, vivere malunt; altera autem ex parte:

2. Rusticis, bonorum, quae in judaeorum transeunt manus, incolis fundos haud possidentibus, et ideo quaestu se sustentare coactis, adimeretur exoptata, imo saepius neccesaria valde occasio, ope servitii circa oeconomiam in dominicali aula pro mercede assumendi. Ex his autem ad 1. et 2. adductis oriretur sine dubio exacerbatio, ac vehemens animorum concitatio; quam tamen sedulo evitare jam in epistola a Rma Excellentia Vestra ad me sub die 10. Maji 1860 directa, commendatur.

3. Judaicis bonorum dominis vel possessoribus, in officiales pro dirigenda vel inspicienda eorum re oeconomica christianos conducere non valentibus, nihil remaneret, quam suae religionis quaerere individua, quae apud ipsos talia exercerent munia. Taliter ergo adduceretur id ipsum, quod in praelaudata Papae Benedicti XIV. encyclica gravissimum appellatur malum; quod nempe super Christianos imperii specimen assidue praeferrent ostentarentque judaei. Etiamsi etenim sublato ab anno 1848 in ditionibus his subditelae nexu, quo ruricolae erga terrestres dominos antea obstringebantur, non sint illi jam horumce, ac eo ipso eorundem procuratorum seu officialum auctoritati tantopere obnoxii, tamen ab his semper adhuc in tantum magna ex parte dependent, in quantum sub eorum invigilatione ac directione operas diversas pro re domini, utut voluntarie et erga diurnum saepius praestant salarium.

Et magis adhuc imperio judaicorum officialium, rem oeconomicam ejusdem religionis dominorum curantium, subessent, inservientes inferiores, qui ibidem forte e Christianorum numero applicarentur quare, cum hocce ultimum, juxta superius dicta, vix averti possit, melius apparet tollerare, si Christianis talia servitia apud Judaeos praestantibus, Christiani etiam, non vero Judaici praeponerentur immediati superiores.

His considerationibus ductus censeo, sub modernis rerum adjunctis ac conjuncturis id summum nonnisi serio urgeri posse, ne apud Judaeos agant Christiani assidue erga mercedem nutrices, opificii sodales aut tyrones, vel famulos ad servitia ejus indolis, propter quae in communi cum iisdem re familiari, seu domestica, vivere adigantur. Quodsi autem Judaei ad rem oeconomicam in bonis terrestribus a se jure dominii, vel titulo locali conducti, possessis, vel in crematoriis, braxatoriis, aut aliis officinis, adhibeant, qua officiales, vel qua inservientes, Christianos, etiamsi continuo et erga retributionem, sed ita, ut hi a dominis suis separate habitent, et vel propriam rem demesticam gerant, vel tamen victum, heri sui impensis, ast seorsive percipiant, puto adhibendam esse circa malum hoc eam tolerantiae prudentiaeque rationem, qua (uti in instructione a. p. m. P. Gregorio XVI. quoad ineunda mixta matrimonia pro Episcopis Austriacae ditionis sub 22. Maji 1841 data dicitur) „*Sedes apostolica solet mala illa patienter dissimulare, quae vel impediri omnino nequeunt, vel, si impediantur, funestioribus etiam incomodis facilem aditum patefacere possunt.*"

In re tamen tantae gravitatis, praesertim contra canonum ac pontificalium constitutionum litteram et mentem autoritate mea propria statuere quidquam non audens, Rssm. Excellentiam Vestram cum omni, qua par est veneratione, exoro, ut manifestatam a me in praemissis sententiam, sive ipsa, sive pro re nata impetrata ad id a SS. Dmo Nostro facultate, ratihabere, vel vero aliam congruam quoad materiam istam procedendi normam mihi gratiose subministrari dignetur.

Qua simul utor occasione etc. D. u. s."

6. Copia responsi Excellmi D. Nuntii Apostolici dto. 26. Junii 1861 N. 2289. Viennae, ad quaesitum Consistorii Metropolit. rit. lat. dto. 3. Aprilis 1861 N. 413.

„Excellmo et Rmo D. Francisco Xaverio Wierzchlejski, Archiepiscopo Leopoliensi rit. lat. — Officio mihi duco notificare Excellentiae Vestrae Rmae responsum S. Congregationis S. Officii ad quaesitum ab Ipsa, cum suis humanissimis litteris die 3. Aprilis mihi datis, propositum.

Sic enim dicta S. Congregatio respondit:

„Prudenter dissimulandum juxta votum R. D. D. Archiepiscopi dummodo non adsit periculum perversionis. Curandum tamen ab eodem Archiepiscopo, ut si fieri commode poterit, Christiani nullum famulatum praestent Judaeis, ne separata quidem mensa atque habitatione, nisi obtenta prius licentia ab Ordinario vel a respectivis Parochis."

Hanc occasionem arripio etc. etc.

In rescripto S. Congreg. S. Officii deest adnotatio diei, qua datum est."

Liturgica.

Decretum S. Congreg. Rituum die 18. Junii 1858.
de benedictione puerperarum.

Ex relatione status Ecclesiae Wratislaviensis ad S. Cong. ab episcopo transmissa die 8. Martii 1858 sequens habetur postulatum: „Rituale romanum nihil dicit, an mulieres post partum illegitimum possint accipere benedictionem in ordine Sacramenti Matrimonii post partum praescriptam In multis dioecesibus Germaniae valet antiqua consuetudo hanc benedictionem tantum uxoribus impertiri vel viduis post partum posthumum. Quaeritur an haec consuetudo sit Rituali conformis, et quatenus negative, an possit tolerari ut praefata benedictio post partum illegitimum denegetur."

Quamvis nulla fiat mentio in Rituali Romano, nullumque quoad sciam prostet decretum in thesauro resolutionum S. Rituum Congregationis relate ad hanc mulierum benedictionem post partum illegitimum, tamen si attendatur origo, ex qua hujusmodi profluit caeremonia, nec non si reliqua argumenta perpendantur, hujusmodi benedictio mulieribus post partum illegitimum deneganda videretur. Enim vero ritus ille vetus prouti praescribitur Levitici cap. XII. tantummodo legitimas uxores spectabat, quae ex maritali vinculo filios procreassent, sicuti videre est ex integro laudati capitis contextu, ubi non quaecumque mulier sed potius vera uxor denotatur, quae post partum erat lustranda.

Pressius sed vero ad Rituale Romanum quod attinet, licet ex eo edoceamur hujusmodi ritum non esse praeceptivum, sed tantum religiosum, tamen deduci posset talem ritum mulieres legitimo matrimonio conjunctas respicere utpote qui apposite post Sacramentum Matrimonii tamquam de re affini, non autem ad caput de

benedictionibus referatur. Ad rem Catalanus in *commen. rit. rom. ad tit. VII. de Sacram. Matrim. cap. III. de benedict. mulierum sub N. XVII.* „Reliquum est (inquit) ut ad calcem hujus commentarii circa puerperas purificandas et istud notemus benedictionem post partum ei tantum mulieri concedi, quae ex matrimonio pepererit, non autem illi quae ex fornicatione et potissimum ex adulterio aut damnato alias coitu parturiit. Ita plane docent communiter doctores, ac statutum etiam in synodis ac ritualibus legi.“ Et revera ita sentiunt Pastorales Mechliniensis Brugensis et Rituale Leodiense; imo modernus auctor Herdt in suo opere cujus titulus S. *Liturgiae praxis juxta Rit. Rom.* Lovanii an. 1852 edito *de introductione mulieris in Ecclesiam post partum n. 11* haec expresse habet: „Ad hanc benedictionem jus tantum habent mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt; ita ut ad hanc admitti nequeant illae quae notorie ex adulterio, aut fornicatione prolem pepererunt, iis enim potius imponenda esset publica poenitentia.“

His accedit auctoritas Baruffaldi *ad Rit. Rom. commen. de bened. mulier. post. part. tit. 13, sub n. 18*, qui contendit hujusmodi ritum congruentius in Ecclesia parochiali esse celebrandum hac potissimum ratione, quia haec benedictio videtur *quid consequens ad contractum matrimonii.* Praesertim vero haec amplectenda videtur sententia, cum nulla urgeat necessitas, ut quod in silentio quammaximo occultari deberet, non sine aliquo scandalo patesceret, devotionis siquidem gratia puerperae hujusmodi benedictionem exposcerent. Quae omnia si suadeant consuetudinem, de qua in casu, omnino esse rituali conformem, satis quaestioni esset provisum.

Ceterum perpendendum est verba Ritualis Romani generalia esse, nec ullam facere distinctionem inter partum legitimum et illegitimum; quidquid ceteroquin sit de occasione, quam sumpsit Rituale Rom. loquendi de hac benedictione post matrimonii sacramentum. Imo si ratio hujusmodi ritus probe inspiciatur, scilicet purificandi foeminas post partum in Ecclesiae ingressu, potiori ratione lustrari viderentur mulieres post partum illegitimum. Si vero ratione scandali benedictio haec nullo modo impertienda censeatur post partum notorie illegitimum, saltem videretur quaedam limitatio admittenda quoad eas mulieres, quae occulto et praesertim deceptae humanae cesserint fragilitati. Quam distinctionem inter occultam et notoriam fornicationem insinuare videtur Pignatellius *tom 5, consult. 76, n. 14.* Ita ibi „In ultramontanis partibus, speciatim in toto Belgio, moris est ut puerperae, quae ex concubinatu vel fornicatione notoria pepererunt, nonnisi ab archipresbytero seu decanis purificentur, ut istius purificationis occasione informationem accipiant de patre prolis natae, quam ad Vicarium Episcopi transmittent, ut contra fornicatorem castigandum juridice procedatur.“

Videant tamen Emmi Patres, utrum si prudenter admittenda consuetudo, quam recolit auctor iste, maxime sit Rituali haud videatur esse conformis ex graviorum doctorum sententia. Et quamvis praejactam distinctionem sequi censeantur, inter notoriam scilicet et occultam fornicationem, neoterici quidam Gallici scriptores, hi tamen omnes haud satis clare perspicueque sese exprimunt, si tantum laudatum De-Herdt excipimus, qui *loc. cit. praxis liturg. rom. p. 6, n. 15*, § 1, hanc limitationem ad partum *notorie adulterinum* cohibet, hoc scilicet sensu ut jus sit *uxoribus* petendi praefatam benedictionem, quoties ocultum sit adulterium, quod sane longe distat a fornicatione quoad prolem editam in figura matrimonii. Quare etc.

„S. Congregatio rescripsit: *Ad benedictionem post partum jus tantummodo habere mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt.* Die 18. Junii 1859.“

Decretum S. Rituum Congregationis,
de missa solemni canonicorum aliisque cultus divini quaestionibus die 16. April. 1861, in u. s. Jacobi de Chile.

Dub. I. Utrum in Missa solemni, vi assertae consuetudinis possit canonicus celebrans, dicto „Munda cor meum. . .“ benedicere incensum et diaconum, et Evangelium legere, dum illud cantatur? Item Missam prosequi statim ac a choro cantatus sit versiculus Symboli „Et incarnatus est?“ Itemque omittere cantum Praefationis et Orationis Dominicalis, iis saltem diebus, quibus habetur concio?

Resp. *Negative.*

Dub. II. Utrum ferri valeat usus, Missam solemnem celebrandi cum solo diacono vel subdiacono, cum praesto non est aliquis ministrorum?

Resp. *Negative.*

Dub. III. An in Missa solemni, vi assertae consuetudinis, canonicus celebrans ejusque ministri, praesente etiam archiepiscopo, cum hic suam sedem non occupat, possint sedere in latere Evangelii, ipso in loco ubi sedes archiepiscopalis collocatur, quia fixa non remanet?

Resp. *Negative.*

Dub. IV. Utrum, attenta consuetudine, canonicis celebrantibus vel archiepiscopo ministrantibus liceat sedere in sedibus cameralibus?

Resp. *Negative.*

Dub. V. Excepto presbytero et diaconibus assistentibus, ceteri canonici non assumunt sacra paramenta, cum archiepiscopus solemniter celebrat vel facit illas functiones, in quibus juxta Caeremoniale Episcoporum id praestare debent omnes dignitates et canonici. Quaeritur, utrum tolerari possit haec consuetudo?

Resp. *Negative.*

Dub. VI. Cum concio habetur coram archiepiscopo, concionator nuntiat Indulgentias, omissa Confessione et aliis praescriptis in Caeremoniali. Etiam in fine Missae, cum archiepiscopus benedicit populo, non presbyter assistens, sed capellanus cotta indutus publicat Indulgentias. Quaeritur igitur, utrum recensita consuetudo servanda nec ne sit?

Resp. *Servetur Caeremoniale.*

Dub. VII. Attenta consuetudine possuntne canonici, licet officio presbyteri assistentis non fungantur, tum in cathedrali tum extra, ac etiam praesente archiepiscopo, concionem facere pluviali induti?

Resp. *Negative.*

Dub. VIII. An qui cantat Prophetias, possit, vi consuetudinis, eas relinquere, cum vix a Celebrante earum lectio absoluta sit?

Resp. *Negative.*

Dub. IX. An, ubi viget consuetudo, liceat baptismi sacramentum solemniter administrare in sacristia Cathedralis?

Resp. *Negative, nisi adsit rationabilis causa ab archiepiscop- approbanda.*

Dub. X. Utrum, attenta consuetudine, canonici, qui in solemonitatibus Vesperarum officium faciunt, possint manere in habitu chorali usque ad Capitulum, et tunc tantum assumere pluviale? Item an liceat ipsis in officio solemni Matutini et Laudum numquam se pluviali induere et incensare altare?

Resp. *Negative.*

Dub. XI. An toleranda sit consuetudo canonicorum, aliorumque in choro praesentium, numquam cooperiendi caput, dum divina officia peraguntur?

Resp. *Affirmative ab iis, qui sacris paramentis non sunt induti.*

Dub. XII. An vi assertae consuetudinis possit unusquisque canonicus singillatim uti cappa et mozzetta tum extra metropolitanam, tum etiam extra dioecesim?

Resp. *Negtaive, et detur decretum generale diei 31. Maji 1817*).*

Dub. XIII. Utrum ferri possit consuetudo plurium ecclesiarum hujus archidioeceseos et praesertim Regularium, asservandi Ss. Eucharistiam in duobus aut tribus altaribus? et nonnumquam occasione novemdialis aut alicujus festivitatis transferendi etiam in aliud altare diversum ab illis, in quibus ordinarie asservatur?

Resp. *Negative.*

Dub. XIV. Utrum servanda sit consuetudo exponendi publicae adorationi Ss. Sacramentum tum in ecclesiis Regularium, tum in iis, in quibus adest indultum apostolicum asservandi Eucharistiam, sine Ordinarii licentia?

Resp. *Negative.*

---

*) „Dignitatibus et canonicis, etiamsi gaudeant indulto deferendi cappam et rocchettum tam in propria quam in alienis ecclesiis, hujusmodi tamen, aliorumque canonicalium insignium usus extra propriam ecclesiam licitus est dumtaxat quando capitulariter incedunt vel assistunt et peragunt sacras functiones; non autem si intersint uti singuli, nisi speciale privilegium nedum collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur.“ Quod S. R. C. decretum Pius VII. P. M. Apostolica confirmatione munitum typis tradi ac evulgari jussit, pridie Nonas Junii MDCCCXVII.

Właściciel i wydawca odpowiedzialny X. Prusinowski w Grodzisku. — Czcionkami Drukarni Tygodnika Katolickiego w Grodzisku.